



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXVII. Gregorii Papae I. Ad Narsem Religiosvm. De persecutione non timenda, & salute plurimorum amicorum acquirenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

De persecutione non timenda, & salute plurimorum  
amicorum acquirenda.

*Gregorius Narſi religioſo.*

**C**VM Romanum defenſorem ad urbem regiam mitte-  
rem, diu ſcripta veſtra requiſiui, ſed inueniri minime  
potuerunt: poſtmodum vero inter multas aliorum epiſto-  
las ſunt inuenta, in quibus mihi dulcedo veſtra ſuas affli-  
ctiones & tribulationes ſpiritus indicat, & aduerſitates  
malorum hominum manifeſtat. Sed rogo in his omnibus  
reuoca ad mentem hoc quod credo, quia nunquam obli-  
uiſceris, *quia omnes, qui pie volunt viuere in Chriſto, perſecutio-  
nem patiuntur.* Qua in re ego fidenter dico, quia minus pie  
viuis, ſi minus perſecutionem pertuleris. Idem quoque  
doctorgentium quid aliud diſcipulis dicat audiamus: *Ipsi  
ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit, ſed  
ante paſſi & contumeliis affecti.* Ecce, dulciſſime fili, prædi-  
cator ſanctus ingreſſum ſuum vacuum fuiſſe perhibuit,  
ſi contumelias non pertuliſſet: & tua caritas dicere bona  
vult, ſed mala perpeti recuſat. Vnde neceſſe eſt, vt inter  
aduerſa ſe diſtriſtius accingat, vt deſiderium ad amorem  
Dei atque ſtudium bonæ operationis ipſa plus aduerſitas  
augeat. Sic ſemina meſſium gelu cooperta fertilius germinant.  
Sic ignis flatu premitur vt creſcat. Scio quidem quia  
ex tot malarum linguarum ſermonibus peruerſis tempe-  
ſtatem validam pateris, in mente contradictionum fluctus  
ſuſtines. Sed redeat ad animum quod per Pſalmiſtam Do-  
minus dicit: *Exaudi me in abſcondito tempeſtatis, proba me ad  
aquas contradictionis.* Si enim inter contradicentes quæ Dei  
ſunt egeris, tunc verus operator probaris. Dulciſſima au-  
tem veſtra caritas mihi ſcripſit, vt monaſteriis quæ per  
orationes & magiſterium veſtrum a filio noſtro domno  
Paulo inſtituta ſunt aliquid admonendo ſcriberem. Sed ſi  
Dei ſunt vaſa, ſcio quia per compunctionis gratiam fon-  
tem ſapientiæ intus habent, & meæ ſiccitatis guttas par-  
uulas ſuſcipere non debent. Perfecta vero veſtra ſapientia  
recolit,

2. Tim. 3.

1. Theſſ. 2.

Pſal. 80.

recolit, quia in paradiso pluuia non fuit, sed fons ascende-  
bat de medio paradisi, qui irrigaret faciem terræ. Illæ ergo  
animæ quæ per compunctionis gratiam fontem in semet-  
ipsis habent, de aliena lingua pluuiam necessariam non ha-  
bent. Per scripta autem vestra mihi transitum domnæ Efy-  
chiæ nuntiastis: & magna exultatione gauisus sum, quia  
illa bona anima feliciter ad suam patriam peruenit, quæ in  
patria laborabat aliena. Gloriosas autem filias meas dom-  
nam Dominicam, & domnam Eudochiam mea vice salu-  
tate. Sed quia prædictam domnam Dominicam iam diu est  
quod audio præpositam factam, in hoc circa eam vestra  
caritas vigilet, vt quia iam seruire in labore terreni palatii  
non compellitur, omnes mundi huius strepitus perfecte  
fugiat, totam se Deo conferat, nihil de se extra se relin-  
quat: sed & quantas valet animas in Creatoris sui serui-  
tium colligat, vt earum mentes per verbum eius gratiam  
compunctionis accipiant, & tanto celerius ipsa ab om-  
nibus peccatis suis absoluta sit, quanto per eius vitam &  
linguam etiam aliarum animæ peccatorum suorum ne-  
xibus eruperint. Quia autem nemo hominum in hoc  
mundo sine peccato est, & quid est aliud peccare nisi a  
Deo fugere? fiducialiter dico etiam eandem filiam meam  
peccata aliqua habere. Vt ergo dominæ suæ, id est, æter-  
næ sapientiæ perfecte satisfaciatur, quæ sola fugit, cum mul-  
tis redeat. Auerfionis enim suæ culpa nulli imputabitur,  
quæ reuertens lucrum reportat. Domnum autem Ale-  
xandrum & domnum Theodorum mea per vos peto vi-  
ce salutari. Quod vero scribitis, vt excellentissimæ filiæ  
meæ domnæ Gurdia, & sanctissimæ filiæ eius domnæ  
Theotista, & magnificis earum hominibus domno Ma-  
rino & domno Christiodoro scribere debeam, eosque  
aliquid de anima sua admonere, bene scit dulcissima  
vestra magnitudo, quia hodie in Constantinopolitana  
ciuitate, qui de Græco in Latinum, & de Latino in Græ-  
cum dictata bene transferant, non sunt. Dum enim verba  
custodiunt, & sensus minime attendunt, nec verba intel-  
ligi faciunt, & sensus frangunt. Pro qua re prædictæ filiæ  
meæ domnæ Gurdia breuiter scripsi: nam ceteris tacui.  
Duas autem camisas, & quatuor oraria vobis transmisi,  
quæ prædictis viris ex benedictione sancti Petri peto hu-

militer offerri. Præterea quidam moriens vnum mihi puerulum dimisit: de cuius anima cogitans, eum dulcedini vestræ transmisi, ut in eius viuat in hac terra seruitio, per quem ad libertatem cæli valeat peruenire. Dilectissimum autem filium meum Anatolium diaconum, quem ad faciendam responsam ecclesiæ in urbem regiam transmisi, peto ut frequenter dulcissima vestra caritas visitet: ut post labores quos in causis sæcularibus patitur, in verbo Dei vobiscum requiem inueniat, & quasi quodam candido linteo eiusdem laboris terreni sudorem detergat. Quem personis omnibus quæ vobis notæ sunt commendate: quamuis scio quia, si perfecte cognoscitur, commendatione non eget. Vos autem quantum sanctum Petrum apostolum, quantum me diligitis, in ipso modo monstrate. Omnipotens autem Deus dulcissimam mihi caritatem vestram ab interioribus hostibus exterioribusque custodiat, & quando ei placuerit ad cælestia vos regna perducatur.

## EPISTOLA XXVIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD CYRIACVM EPISCOPVM CONSTANTINOPOLITANVM.

De submouendo profano vocabulo, ut pax ecclesiæ conseruetur, & scandala multorum auferantur.

*Gregorius Cyriaco episcopo Constantinopolitano.*

**S**CRIPTA beatitudinis vestræ suscepimus, quæ nobis non linguæ sed animæ verba loquebantur. Aperiebant enim mentem, quæ tamen mihi clausa non erat, quia per memetipsum suauitatis ipsius experimentum tenebam. Vnde omnipotenti Deo incessanter gratias refero, quia si erga nos in corde vestro virtutum mater caritas permanet, bonorum operum ramos nunquam amittitis, quia ipsam bonitatis radicem tenetis. Oportet ergo ut mihi atque omnibus fratribus vestris eiusdem caritatis pulcritudinem in hoc primum opere monstretis, ut verbum superbiæ, per quod graue scandalum in ecclesiis generatur, auferre festinetis, hoc modis omnibus implentes quod scriptum est: *Solliciti seruare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* Et rursus: *Nullam occasionem dare aduersario maledicti*

*Ephes. 4.*

*1. Tim. 5.*